



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Tractatvs De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis**

**Chapeauville, Jean**

**Mogvntiæ, 1612**

26. Quid sit de illorum, qui propter ægri in loquendo tarditate[m] ipsi celeriter de peccatis, quæ verosimiliter illum co[m]misisse existimant, interrogant, & statim annuente[m] ægrum absoluu[n]t & ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41077**

## QVÆSTIO XXVI.

*Quid sit de illorum, qui propter ægri in loquenda tarditatem ipsi celeriter de peccatis, quæ verosimilius illum commisisse existimant, interrogant, & statim annuentem ægrum absoluunt, & abeunt,*

## Quæstionis explicatio.

**F**ere omnes peste infecti linguam habent ulceratam, aridam, & propemodum immobilem, propter ardente in intestinis febrim, ut Medici testantur, & in superioribus ex Lucano ostendimus. Huius occasione queritur, an Pastor aduertes ægrum tarde & difficulter loquentem, possit hoc modo supplere, interrogando scilicet, tantum aliqua, quæ verosimilius putat illum commisisse: & beneficium absolutionis impendendo?

## Responsio.

**P**otest hic modus ministrandi tolerari, præsertim si aliquod horum trium occurrat: Primum si graue sit contagii periculum: Secundum, si breui timetur æger in delirium, vel etiam in mortem ex vi & magnitudine morbi casurus. Tertium, si æger solet esse boni iudicii, & diligentि præmeditatione sese ad cōtritionem & confessio-

nem

nem præparare, ita ut pastor sibi probabili-  
ter persuadere possit illum pro hoc tempo-  
re bene præparatum esse, & si morbus &  
tempus permetterent libenter omnia con-  
fessurum: Et ratio est, quia illis tribus casi-  
bus sufficit integritas confessionis forma-  
lis: vult enim æger integre confiteri, si tem-  
pus, & morbus illud permetterent, quod  
sufficit ut confessio dicatur integra saltem  
formaliter; & consequenter peste infectus  
est bene dispositus, ut tam sacramentum,  
quam effectum sacramenti, & omnium  
peccatorum etiam omissorum remissio-  
nem consequatur.

Dices: Iudicis est causam bene examina-  
re, ante quam sententiam ferat, debet ergo  
pastor ulterior de tota causa diligenter co-  
gnoscere.

R. Posito aliquo corum quæ diximus,  
pastorem sufficienter officium fecisse, ut ex  
antedictis satis manifestum est, secundum  
quæ licet in articulo mortis, propter peri-  
culum & temporis breuitatem, crassiore  
quodam modo ministrare sacramenta,  
quam extra illum.

Dices secundo: Quid si æger velit inte-  
gre confiteri?

R. Si pastor timet probabiliter pericu-  
lum mortis ex infectione pestilenti, non  
tenetur

a fupp.

tenetur audire, sed excusatur secundum  
 (a) Zambranum & multos recentiores Dd.  
 eruditos & pios, quos se cōsuluisse dicit,  
 quorum ratio videtur esse, quia sicut secun-  
 dum omnes excusatur pœnitēs ab integri-  
 tate confessionis, quando ex illa sibi timeret  
 damnum corporis, vel rei familiaris, vel  
 honoris, quod scilicet Confessarius ipsi iniuste  
 inferret, si illi integre confiteretur, ita  
 etiam excusatur Confessarius ab audienda  
 integra confessione, ex qua sibi à confiten-  
 te mortem timeret.

Quod noto in solamen pastorum & eo-  
 rum qui necdum tanta charitate ardent, ut  
 periculū vitæ corporalis, pro maiori quiete  
 spirituali proximi adire audent.

### Q V A E S T I O   XXVII.

*Quid sit de illorum, qui habentes plures peste infe-  
 stos eodem tempore vicinis tuguriolis exceptos, ad  
 singulos accurrunt, auditoque vnius peccato  
 uno illum statim absoluunt, & ad al-  
 lium atq; alium transeunt, eos  
 similiter audientes &  
 absolventes?*

Quæstionis explicatio.

**C**VM pestis sævit & instar ignis omnia  
 circumquaq; depopulat, nec plures  
 sunt